

fuerant effici, iam quidem et superius ex divinis Scrip-
turis docuimus. Inde denique est quod et meretrices et
publicani hereditatem regni caelestis accipiunt; inde et
multi novissimi primi constituuntur. Tamen addam tibi
15 et aliqua quae nostri memoria gesta sunt, quorum tu
quoque ipse testis es. Scis adolescentem illum, Urbani
filium, fenicis provinciae, qui pupillus quidem a paren-
tibus fuerat derelictus, sed divitiis admodum, familia,
argento et auro ac possessionibus locupletissimus. Hic
20 primo quidem contempta omni pompa elationis et iactan-
tiae, quam vel adolescentia praesumere solet vel abun-
dantia ministrare, ipsis etiam auditoriis litterarum libe-
ralium derelictis, et ad humilem vitam et indumenta
vilia atque habitum pauperem neglectumque mundum
25 conversus, ad montes ac deserta secessit atque ibi per
continentiam nostrae philosophiae exercitatus etiam
supra aetatem suam, vitam magnorum et admirabilium
virorum abstinentiae virtutibus non solum aequiparavit
sed etiam praecessit. Post haec et sacri baptismi myste-
30 rium consecutus multo magis ascendebat ad incrementa
virtutum. Laetabantur omnes et laudabant Deum quod
in tantis divitiis natus, tamque clari generis, et primae
adhuc aetatis adolescens, subito omni vitae pompa cal-
cata, ascendere desideraverit ad aeternae vitae fastigia.
35 Cum ergo in his exercitiis versaretur et in admiratione
esset omnibus, quidam corruptae mentis homines, qui ei
iure consanguinitatis proximi videbantur, accedere ad